


---

This is a reproduction of a library book that was digitized by Google as part of an ongoing effort to preserve the information in books and make it universally accessible.

Google™ books

<https://books.google.com>



DISSERTATIO  
DE  
HYDROPI  
PER  
CHIRURGIAM  
CURATIONE.  
QUAM

*Annuate Divino Numine*

P R A E S I D E  
VIRO CELEBERRIMO AC CLARISSIMO  
P E T R O C A M P E R ,

*A. L. M. Med. & Philos. Doct. Medic. Anat. Chi-  
rurg. & Philos. Professore Ordinario. R. S. L. S.*

Publico Examini Submittit.

F O L K E R T S N I P , *Med. Candidatus.*

D O C C U M O F R I S I U S .

A U C T O R .

Dic 25 Junii 1755.

H. L. Q. S.





F R A N E Q U E R A E ,

Excudit GULIELMUS COULON, *Illust. Frisiae Ord.  
atque Eorumd. Academ. Typograph. ord. 1755.*



JAN 129, 10

17



SERENISSIMAE.

A. C.

CELSISSIMAE.

PRINCIPI.

REGIAE.

HEREDITARIAE.

ANNÆ.

TOTIUS FOEDERATI.

BELGII GUBERNATRICE.

TUTORIO NOMINE.

ETC. ETC. ETC.

UT.

UT. ET.  
VIRIS. ILLUSTRISSIMIS.

A. C.

NOBILITATE CLARIS.

HESSELO. DOMINICO. ERNESTO.

AB. AYLVA.

TJAARDO. BARONI. AB. AYLVA.

LIVIO. SUFFRIDO. LYCKLAMA.

A. NYEHOLT.

TJALLINGO. EDONI. SIXMA.

AB. ANDALA.

FRISIACÆ. ACADEMIÆ. CURATORIBUS. VARIIS.  
QUE. MUNERIBUS. ET. HONORIBUS. IN. REPU-  
BLICA. CONSPICUIS.

HANC. DISSERTATIONEM. SE.  
SUAQUE. STUDIA. DEVO-  
TO. ANIMO.

D. D. D.

FOLKERT. SNIP.

AUCTOR.



DISSERTATIO  
DE  
HYDROPI  
PER  
CHIRURGIAM  
CURATIONE.



CAPUT I.

**N**on minus vere quam eleganter inquit  
Aretæus Cappadox *morb. diut. lib.*  
*2. cap. 1. p. 48.* Hydropem injucun-  
dum esse aspectu vitium & toleratu  
difficile, perpauci quia ab eo liberantur, idque  
A fe-

felicitate quadam, ac Deorum potius quam artis auxilio; mirum idcirco non est, curam ejus omnibus Medicis & Chirurgis tantam movisse sollicitudinem, eamque variis tentasse modis.

Quoniam in animum induxeram breviter de Hydrope agere, proposui solum ea tractare, quæ ejus curam per Chirurgiam spectant, missis iis, quæ ad hujus morbi causas, diagnosis prognosin & curationem medicam pertinent.

Antequam vero hanc materiem ad examen revoco, a scopo non alienum duxi Hydropem in suas dividere species. Maximi enim Medici in eo conveniunt, ut tres diversos constituant Hydropes, Anasarcam scilicet, Ascitem & Tympanitidem.

In Anasarca aquosa colluvies inter cutem & carnem colligitur, corpus ex æquo tumens, laxum ac pallidum observatur, digitusque in illud impressus vestigium sui relinquit. Leucophlegmatia etiam ab aliis vocatur; ab Aretæo vero ut dissimiles considerantur, anasarcam generari scribit, si in humorem sanguineum, aquosum tenuem carnes liquatæ fuerint: Leucophlegmatiam vero, si omne corpus intumescat ex alba crassa & frigida pituita vid. *Lib. 2. morb. diut. cap. 1. p. 49.* Si vero id morbi genus est, quo in abdomen multa aqua

qua contrahitur, Ascites nuncupatur. Tympanitis, quando multo flatu abdomen distenditur, ac totus venter tensus tympani modo sonat si percutitur, hunc siccum Hydroperem vocavit Hippocrates teste Gorræo in *def. Med.*

Elegantissime tres has species sequenti modo descripsit Celsus *lib. 3. cap. 21. p. 160.* „ Nam „ modo ventre vehementer intento creber in- „ tus ex motu spiritus sonus est: modo corpus „ inæquale est, tumoribus aliter aliterque per „ totum id orientibus; modo intus in ute- „ rum aqua contrahitur, & moto corpore ita „ movetur, ut impetus ejus conspici pos- „ sit.

Ut in his tractandis quendam mihi proponam ordinem *primo* de Anasarce *secundo* de Ascitis *tertio* de Tympanitidis cura agam.

A 2

C A.



## C A P U T II.

*De Anasarca curatione.*

## §. I.

**M**issis, quae ad causam diagnosin ac prognosin Anasarcae pertinent, ut supra jam innui, ad curam ipsius me confero, quae dupliciter fit, per incisionem ad talos vel per scarificationem.

Incisiones talorum a veteribus non minus quam recentioribus celebratae fuere; Galenus eas in hydropicis instituendas proposuit de *comp. med. sec. loc. cap. 9.* Imo ipse Asclepiades punctiorem a talo quatuor digitis distantem laudavit teste Aureliano *chron. morb. lib. 3. cap. 8. p. 489.*

Infiguntur a parte interiore pedis, spatio quatuor transversorum digitorum supra talum sicuti eas & determinavit Aetius *tetr. 3. ferm. 2. cap. 30. p. 544.* ut & Celsus *lib. 3. cap. 20. p. 164.*

Profunditatem earum exactam ac certam statuere non audeo. Aetius l. c. Profunditatem talem determinavit, qualem in V. S. adhibemus.

mus. Asclepiades altiori utendum voluit. Celsus modo ipsos tumores altis plagis incidendos proposuit, neque exacte profunditatem definivit, idque jure merito; non enim homines hoc morbo laborantes semper æque tenfos habent pedes, adeoque non in omnibus eadem profunditate tali sunt incidendi. Generalem idcirco profunditatem ita determinamus, ut tam alte incidantur tali, donec aqua effluit, quam fere semper parvus sanguinis effluxus præcedit.

Ne vero quis putet inflammationem semper hanc operationem insequi, Aetius hanc citra omnem inflammationem peragi scripsit.

Accidit interdum, post satis alte inflictas incisiones, aquæ excretionem non ex voto succedere, requiritur tum ut illa promoveatur, quod diversis modis, variisque adminiculis peragitur, basin vero omnium constituit motus corporis. Æger idcirco lectica imponitur, ac circumvehitur, quemadmodum proposuit Galenus *de comp. med. sed. loc. cap. 9.* Similia ad excretionem suppressam rescuscitandam commendavit Aetius *tetr. 3. Serm. 2. p. 544.* Si vero viribus nondum fracti sint ipsi deambulabunt, ac convenientibus corporis exercitationibus utentur, atque ita proprio exercitio illa

præstabunt, quæ in debilioribus circumvectiones & gestationes.

Excretionem nondum procedente vulnera fricanda sunt muria salis vel inurenda calefaciente medicamento, sicuti in scarificatis locis laudavit Hippocrates de *loc. in hom. Sect. 4. p. 417.*

Hæc sunt præcipua adminicula quæ ad excretionem in talis promovendam adhibentur.

Quoniam Anasarca non semper incisio talis solvitur, sæpe aliis in locis similes requiruntur incisiones, præsertim ad pudenda, femora, & ad loca supra manuum juncturas. Neque successu caruit hæc medicina, Leonides enim ex Aetii suffragio hoc modo anasarcam sanavit.

Operatione ex voto succedente effluentis aquæ quantitas viribus ægri proportionata emittitur, & dein conveniens injicitur deligatio.

Indicavimus quomodo peragenda sit operatio, ne vero Gangræna afficiatur membrana cellulosa antea impleta jam flaccida hærens, loca in quibus incisiones sunt factæ deliganda sunt, idque optime efficitur, si primo linteo carpto obtegantur, dein fasciæ idonea comprimantur, quemadmodum fere commendavit Aetius *l. c.*

In

In deligatione omnino cavendum est, ne in integrum fissuræ claudantur; contingit enim aliquando, curam radicalem non unica evacuatione obtineri, ne itaque secunda vice institueretur operatio, apertæ servandæ sunt incisiones, ut si opus sit, linteo carpto ac fascia remotis, gestatione, circumvectione, vel frictione cum mutia salis, similibusque loca irritata denuo aquam emittant.

Neque minus rationi, quam experientia respondet hæc indicatio, vel sanationis modus; pedes enim & tibiae tum alias tum vesperi potissimum, & post exercitationem; aut quamdiu declives fuere hæ partes, tument vide N. Pisonem *lib. 3. cap. 32. p. 210.* Simul inde sequitur eximie motum ad excretionem irritandam conducere, aquosam quippe colluviam præcipue ad pedes derivat.

Neque ex fallaci quandoque ratiocinio ad hanc operationem concluderunt, sed ex fiderum experientia illam mirandum in modum conducere didicerunt, nisi enim ipsa natura monstrasset viam, nisi in cruribus ulcera aquam jugo rivo manantia in hydropicis produxisset, frustra quis locum huic evacuationi tam apprimè convenientem quæxivisset. Neque solummodo antiquitus illa fuere observata sed & quotidianæ observationis hanc veritatem confirmant, observavit enim Clar. Camperus Etane-

nequeræ in muliere ascite simul & anasarca laborante ulcera in cruribus non solum aquam subter cutem, sed & ascitem sustulisse, simile quid observavit Vidus Vidius *de curat. memb. lib. 10 cap. 5.* ubi asciticum per pedes evacuatum refert; mulierem quoque rusticam hydrope laborantem per aperturas a natura in corpore & pedibus factas, post multum aquosi humoris effluxum sanatam fuisse ab Joach. Camerario habet Schenckius *p. 471.*

## §. II.

Quod per incisionem in cruribus, id scarificatione aliis in locis præstiterunt. Omissis, quæ scarificationem rite peragendam spectant, quæque apud Oribasium *med. collect. lib. 7. cap. 18. p. 316.* aliosque inveniuntur, quid in anasarca efficiat jam prosequar.

In Leucophlegmatia, ut supra vidimus, aquosa colluvies inter cutem & carnem colligitur, cumque modica scarificatione summa cutis solummodo pertundatur ut Ægineta *lib. 6. cap. 41. p. 568.* jam docuit, sponte patet facillime ita aquæ exitum comparari, nam illa præcipue loca scarificantur, ubi tumores aquosi manifesti sunt, vel in bullas elevantur, hocque veterum auctoritate magis confirmatur, Hippocrates enim tumidas & aqua plenas partes

tes gladiolo aperiendas, crebroque ac parum & a singulis corporis partibus aquam educendam commendavit. de *loc. in hom. Sect. 4. p. 417.*

Ex his sequitur, si scrotum vel penis intumescit, ita ut urinæ iter occludatur, quod in omni hydrope frequens est, vel muliebria œdemate tument, quod etiam ab hydrope, interdum a graviditate producitur, his in locis scarificationes esse peragenda: Commendavit hoc itidem Hippocrates de *int. affect. Sect. 5. p. 543.* addens „ si eo modo curaveris; cito, tissime sanum reddes. Ubi totum corpus anasarca laborat, scarificanda esse illa loca, quæ præ aliis maxime tument, adeoque si pedes intumuerint, talos scarificare conveniet, quod Asclepiadem laudasse, Themisonem fecisse refert Aurelianus *chron. lib. 3. cap. 8. p. 489. 490.*

Scarificatione peracta statim aqua guttatim effluit, secus vulnuscula sunt irritanda, quæ vero ad ea pertinent jam supra vidimus §. 1. hujus *cap.*, ubi & peti possunt, quæ ad deligationem locorum scarificatorum pertinent.

### §. III.

Præter talorum incisionem & scarificationem nonnulli insuper laudarunt iustionem in variis locis, verum illa quoniam præcipue in Ascite

B

con-

convenit, sub illo titulo ea sunt colligenda, quæ determinant, quemnam usum in Anasarca habeat.



## C A P U T III.

### *De Ascitis Curatione.*

#### §. I.

**Q**uid sit Ascites supra indicavimus, de eius cura nunc agendum est, quæ a Veteribus duplici modo fuit instituta uestione nimirum & Paracentesi.

Quemadmodum in aliis morbis uestio duplici modo peragitur, sic & in Ascite, vel enim feramenta candentia vel medicamina caustica eam efficiunt.

De ejus utilitate ac felici successu nihil hic referam, multos enim hac ratione sanatos fuisse, aliquando penitus, nulla facta paracentesi Ægineta testatur *lib. 6. cap. 50. p. 571.*

Quoniam Ascites juxta veteres præcipue ab affecto Liene vel Jecinore oriri putabatur, loca varia designarunt, in quibus illa uestio sit instituenda. Ideo Lienem inurendum com-  
men-

commendavit Hippocrates de *int. aff. Sect. 5. p. 546.* „ Ubi Lien, inquit, magnus factus fuerit, ac maxime intumuerit *καύσαι μύκησι τις κα-  
φαλας ἀπολαβών* aut ferramentis, multa cautione & observatione adhibitis, ne ulterius peruras. Similiter & jecur inurendum esse docuit *Hipp. ib. p. 545.* idque fungis æque ac ferramentis peragendum proposuit.

De ustione cum fungis nemo, saltem quod indagare potui, ex professo egit; locus ille Hippocratis, idcirco obscurus est, neque admodum manifestum quid per *μύκησι* intelligat, exolevit enim, hodie hæc ustio & fit moxa a Chinesibus, Arabibus & vicinis Asiæ Medicis. Heisterus fungum fuisse ex agarici genere suspicatur *vid. lib. 2, cap. 23. p. 472.* neque a vero aliena videtur hæc conjectura. Severinus qui egregie de variis urendi modis, & materiis disseruit *de eff. aci med. lib. 2. p. 1. pag. 244.* alte silet de fungis. Hæc in transitu monere volui, pergo ad reliqua loca quæ inusserunt veteres.

Si fluxio in carnem posteriore parte Juxta vertebas illapsa Ascitem excitavit, cervicem inurendam voluit *Hipp. de loc. in hom. Sect. 4. p. 416.* Si vero inde nullum levamen perciperet æger umbilici ambitum & ipsum umbilicum commendavit.

Facile quis suspicari posset Senem his in lo-



cis non de ascite loqui, quod tamen audactius assero, quia nunquam sub nomine hydropis de anasarca egit, ut observavit Martianus in *Hipp.*

p. 53.

Præter loca supra memorata Albucasis adhuc alia crustis inurenda proposuit *lib. 1. cap. 33.* nempe circa duas in dorso vertebrae, quarum hæc respondet medio pectori, illa stomacho, præterea supra stomachum unam teste Severino de *eff. med. lib. 2. part. 1. p. 244.*

Sæpe aqua vicissim abdomen & pedes occupat, in quo casu egregia præstabit ustio, si in cruribus instituitur, in tali enim casu humor qui alias continuo ex uno loco in alium fluit, facillime ad pedes poterit allici, atque ibidem evacuari, videmus enim sæpe aquam potissimum eas partes occupare, quæ continuo evacuantur, simili modo in Ascite, qui cum Anasarca conjungitur, ubi venter evacuatur statim anasarca sanatur, & venter denuo impletur.

Ustio vero qualemcunque felicem habuerit successum, aliquando tamen penitus infaustra fuit, Car. Piso enim *obs. & conf. Sect. 4. cap. 3. p. 354.* de nobili Matrona observationem dat, cui ascite laboranti cum cauteria utriusque cruri adhibita essent inflammatio & mox Gangræna supervenit, atque ideo cauteria omnia tan-

tanquam pernicioſa rejicienda eſſe arbitratur, ſed, ut mihi videtur, nimis generaliter.

Ex illo caſu ſolo concludi non poteſt, cauteria eſſe flocci facienda, præſertim ubi tot aliarum obſervationes contrarium evincunt. Forſan non opportune in illa matrona fuere adhibita? Evidens enim eſt, non in omnibus aſciticis ea convenire, ſicut eadem remedia eidem morbo apta non ſemper eundem ſortiuntur eſſectum, ad naturam & ſtatum ægri eſt reſpiciendum, in aſcite ubi aqua putrefacta eſt uſtio minus convenit, quod forſan, vel ſimile quid hic obtinuit, & Piſo, nimis certe damnans hoc in morbo cauteria, facile inde ad ſuam conſulit ſententiam, adeoque hæc obſervatio nullo modo cauteriorum uſum ſuſpectum reddit, uſum enim eorum maxime commendat Veterum auctoritas, felicem ſucceſſum plurimarum obſervationes, inter alios memorabilem caſum ex Caſparo Hofmanno habet Schenckius p. 490. de muliere, quæ curata erat cauterio pede impreſſo; neque minus hanc operationem ſuadet obſervatio, quam idem Schenckius habet p. 481. ubi per errorem veſica in crure nata, atque ex eadem copioſa aqua efluente, adoleſcentem ab hydrope vindicatum refert.

*De Paracentesi.*

Paracentesis veteribus erat perpunctio generaliter in quacunq[ue] corporis parte, ulu tamen invaluit, ut Chirurgi hodie per eam intelligant illam operationem chirurgicam, qua abdomen instrumento idoneo perforatur, ut aqua asciticorum exeat.

Operatio haec nova non est, veteres enim eam cognoverunt, & aliquoties eam instituendam jam praecepit Hippocrates: sic *lib. de affect. Sect. 5. p. 522.* Si ex medicamentis aut reliqua victus ratione auxilium non sentiret aeger, aquam sectione facta educendam voluit. Similiter ejus mentionem fecit *Sect. 6. aph. 27.* ac in commentariis ad hunc locum voce *Paracentesis* usus fuit Galenus.

Laudatur vero operatio ista ab his, dum culpatur ab illis, inter antiquos Erasistratus eam exitiosam pronunciavit & tanquam inutilem rejecit. Inutilem non esse Celsus monstravit *lib. 2. cap. 21. p. 166.* „ Non ignoro,  
 „ inquit, paracentesin Erasistrato displicuit,  
 „ se, morbum enim hunc Jecinoris putavit,  
 „ ideoque ita illum esse sanandum, frustra que  
 „ aquam emitti, quae vitiato illo subinde nas-  
 „ Ca-

„ catur, sed primum non hujus visceris unius  
 „ hoc vitium est. Deinde ut inde cœperit,  
 „ tamen aqua nisi emittatur, quæ contra na-  
 „ turam ibi subsistit, & jecinori & cæteris in-  
 „ terioribus partibus nocet, convenitque cor-  
 „ pus nihilominus esse curandum. Neque e-  
 „ nim sanat emissus humor, sed medicinæ lo-  
 „ cum facit, quam intus inclusus impedit; E-  
 „ xitiosam vero non esse Aurelianus testatur & eos,  
 „ qui hoc dicant, apertissime mentiri dixit,  
 „ quosdam enim evasisse ocularis testis fuit *chron.*  
*lib. 3. cap. 7. p. 498.* Præterea quotidiana ex-  
 „ perientia docuit non raro felicem hanc opera-  
 „ tionem consecutam fuisse successum, & diu-  
 „ superstites vixisse ægros, nullibi melius ex-  
 „ emplum patet quam apud Mead. *in mon. &*  
*præc. p. 148. & seq.* qui viduam illustrem 66xies  
 „ aquæ per paracentesin evacuationem toleras-  
 „ se refert, Cl. Camperus etiam plus quam  
 „ vicies hanc operationem in vidua insti-  
 „ tuit, quæ lacte vivit, & cæterum bene va-  
 „ let. Abunde igitur patet, eam neque inutilem  
 „ neque exitiosam esse, verum in omni casu  
 „ non convenire, & non omnes eam ferre posse.  
 „ certum est; videndum idcirco erit, in quibus  
 „ operatio felicem, in quibus e contra infelicem  
 „ consecutura sit eventum.

§. III.

## §. III.

Ante omnia si cum fructu operationem instituere vult Chirurgus, illud observare necesse habet, ut ascitem recentem, quique nullum morbum antecedentem pro causa agnoscit, tractet. Aqua enim inter cutem minime terribilis est, quae nullo antecedente morbo coepit. inquit Celsus *lib. 2. cap. 8. p. 68.* Aqua etiam inter cutem si ex acuto morbo oriatur raro ad sanitatem perducitur, lethalem e contra eam pronuntiavit Hippocrates *præn. lib. Sect. 2. p. 39.* Ut brevis sim locum Hippocratis adducam *præd. lib. 2. Sect. 2. p. 39.* ubi eleganter totam hydropis prognosin sequentibus describit: „ Qui aqua inter cutem detentus „ est, & servari volet, eum robustis visceribus, & contentis viribus esse convenit, simulque suapte natura facile concoquere, ac bene spirare, sine dolore esse, totumque corpus æqualiter calere, neque extremis partibus esse colliquefactum. Præstat namque potius extrema tumefacta esse, etsi optimum est, nihil horum ad esse. Verum tum mollia tum gracilia extrema esse oportet, ventrem contactu mollem. At neque tussim neque sitim adesse convenit, neque linguam cum alias, tum ne a somno quidem, quod admodum fieri assolet, inareicere. Cibos „ au-

„ autem suaviter assumere, ac ubi quis abunde  
 „ comederit, nihil affligi. Ventrem quoque  
 „ medicamentis quidem celeriter moveri, alias  
 „ vero mollia & figurata excernere. Urinam  
 „ in transitu pro instituta victus ratione & vi-  
 „ norum mutatione mutationem sentire. De  
 „ fatigationem facile sustinere, nec lassitudi-  
 „ nem sentire. Atque sic quidem in totum  
 „ hominem se gerere optimum, ut quam secu-  
 „ rissime convalescat. Quam raro vero hy-  
 „ dropici omnes has qualitates habeant, facile  
 „ liquet, addit ideo Divinus Senex „ sin-  
 „ minus horum ut plurima habeat. Sic enim  
 „ spem fore ut evadat. In quo vero nihil ho-  
 „ rum inest, sed contraria subsequuntur in eo  
 „ spem tolli animadvertendum est. Et cui ex  
 „ his quæ aqua inter cutem laborare probavi-  
 „ mus pauca adfuerint, parum relictum esse spei.  
 „ Ex loco hoc pulcherrimo clarum atque per-  
 „ spicuum est, paucos operationi ferendæ idoneos  
 „ esse, eosque ante omnia oportere „ esse Juve-  
 „ nes robustos, qui vel ex toto carent febre,  
 „ vel certe satis liberales intermissiones habent.  
 „ Nam quorum stomachus corruptus est, qui-  
 „ que malum corporis habitum habent, idonei  
 „ huic curationi non sunt, uti notavit Celsus  
 „ *lib. 3. cap. 21. p. 166.*

Quemadmodum aquæ diu aliquo in loco  
 stagnantes tandem putredine corripuntur, sic

C

& in ascite inveterato aquæ putridæ evadunt, hoc in casu nunquam operatio est instituenda, post evacuationem enim vasa etiam putrefacta concidunt, magis corrumpuntur, ac a sanguine a tergo urgentur tandemque rumpuntur, tumque casus existit desperatus; cognoscitur autem si ingens sitis adest, si color faciei, totiusque corporis fuscus, & pustulis exasperatus est.

Sicuti autem nulla ferme est regula, quin habeat exceptionem, sic neque hæc in omni casu generaliter ita sunt intelligenda, ac si nunquam ab iis reflecti permittatur, tam gravia enim ægrum vexare possunt symptomata, ut Paracentesis, quamquam indicationi contraria, sit instituenda; inexpectato enim successu interdum ægros sanatos fuisse experientia comprobavit, memorabilem hujus rei casum narrat *Mead. in præc. & mon. p. 160. & S.*

#### §. IV.

Quibus in casibus paracentesis cum successu felici instituitur, vidimus, quomodo peragitur nunc dicendum. Antequam Chirurgus operationem aggreditur, requiritur ut totum apparatus in ordinem disponat. Sumit itaque

- I. Mantile quoddam triplicatum ejus longitu-

tudinis, ut post operationem peractam circum abdomen ægri firmari queat.

2. Alterum mantile, quod octies complicatur, & cujus figura quadrata est.

3. Tertium dentum mantile in formam trianguli complicatum adhibet.

4. Fasciam 20 ulnas circiter longam & 4 digitos transversos latam in duo capita volutam.

5. Linteum carptum & emplastrum glutinans. Acum triangularem, cannulatam cochleari instructam, aliudve instrumentum, cum quo abdomen perforat.

6. Specilla denique quibus intestina repellere possit, si cannula iis obturatur.

Hæc sunt quæ ad operationem necessaria sunt, jam quomodo æger sit collocandus exponam.

Quidam stante erecto homine operationem peregerunt, ut Paulus Ægineta & Avicenna, alii ægrum supinum in lecto jacentem operationi subjecerunt. Præ omnibus vero commodissimum est ægrum in sedili quodam collocare, talem enim ægri situm maxime convenire ex sequentibus patebit.

Ægro collocato operator circa ejus corpus a tergo disponit primum mantile, ut statim illud post operationem firmare queat.



Loca puncturæ idonea nunc consideranda sunt, quatuor observantur in quibus operatio fieri potest. Quidam sub umbilico fere quatuor interpositis digi is a sinistra parte, id facere consueverunt, quidam ipso umbilico perforato, Alii a latere umbilici, alii ipso scroto perforato aquam evacuarunt. Ut autem ordine procedamus.

1. De perforatione Umbilici.
2. De institutione paracentesis infra umbilicum.
3. De operatione ad latus Umbilici.
4. De aquæ educatione per aperturam in scroto factam agemus.

Antequam operator locum puncturæ determinat, primo examinat, an umbilicus perforationi sit aptus, eumque aptum esse concludit, si ita laxatum aut apertum eum invenit, vel ita tumentem conspiciat, ut ab exteriori parte ad internam cavitatem tenuissima cutis tantum intercedat, hoc autem interdum oculo apparet, interdum digito perspicue potest deprehendi ut Fabricius observavit p. 521. Si vero laxitas vel pelluciditas illa non adest, umbilicus perforari omnino non debet. Neque solummodo hisce temporibus operatio in umbilico instituitur, sed antiquitus nota fuit,  
uti

uti patet ex Celso *lib. 7. cap. 15. p. 451.* Et quemadmodum talorum incisiones natura ipsa homines docuit, sic & natura monstrante viam umbilicum perforarunt; per umbilicum enim sponte hydropicum sanatum refert Hildanus *cent. v. obs. 47.* quamplurima præterea asciticorum perforato naturæ vi umbilico curatorum observata collegit Schenckius *lib. 3. p. 482. ut & 480.*

Accidit vero aliquando operationem in umbilico infelicem habuisse successum, singularem hujus rei casum habet Joseph. Warner in *ejus Cases in Surgery with remarks Lond. 1754. p. 83. & 5.* Ascitici in nosocomio umbilicus ad ovi Gallinæ magnitudinem protuberabat, integumenta tenuia observabantur & ferme pellucida. Vulnus infligebatur lanceola vulgari in tumoris parte prominentiori, omnis aqua evacuabatur, per aliquot dies bene se habebat æger, donec de ingenti in umbilico dolore conquereretur, qui inflammatus & tumefactus erat, accedebant vomituritiones frequentes, vomitus & febres, hernia facta erat intestinalis incarcerata, operatio fuit instituta, sed moriebatur.

E quo casu concludit auctor umbilici aperturam esse periculosam, non tamen semper; Idem enim paulo post testatur, id exemplum unicum fuisse herniæ huic operationi insecutæ, quamvis aliquoties hanc instituerit, præterea

rea nonnullos simili punctione curatos refert Hildanus *cent. 2. obs. 58. & seq.*

Si Umbilicus perforationi idoneus non invenitur, locus infra umbilicum maxime se commendat, interstitium enim quod relinquitur a duobus musculis rectis abdominis ob tenuitatem facillimam reddit instrumenti immissionem, præterea veteres Medici hunc locum jam perforarunt sic Paulus Ægineta *lib. 6. cap. 50. p. 568.* se in hydropicis ad evacuandam aquam hunc locum incidisse testatur. Caelium Aurelianus quoque hunc locum commendasse patet *ex lib. 3. morb. chron. cap. 8. p. 482.* Verum perforationem hoc in loco maxime dissuadet læsio vesicæ urinaris, quæ interdum ad satis insignem altitudinem supra os pubis ascendit, imo interdum ferme ipsum umbilicum attingit uti in *theat. anat.* observavit Cl. Camperus: Nam in tali casu vesica, etiamsi non valde distenta, facile ascendet ad locum, qui tribus digitis interpositis ab umbilico est definitus, & tum læsio vesicæ magnopere timenda foret, illa vero quanti sit momenti nemo ferme ignorat, vulnera enim vesicæ lethalia pronuntiavit Antiquitas, admodum periculosa recentior ætas. Verum quoniam Ægineta eo in loco operationem semper, & Avicenna aliquoties instituit, uti patet *ex Fen. 15. tract. 1. p. 788.* puncturam, infra umbilicum improba-

bare nequeo, & quidem tanto minus, quia spatium inter os pubis & umbilicum in asciticis longe insignius observatur quam in sanis; tantum igitur periculum secum non trahit, quantum prima fronte apparet. Si vero aliquis vesicæ urinariæ læsionem meruit, nihil vetat, puncturam altius instituere in eadem linea, præstat enim potius ad umbilicum accedere quam ad os pubis; Hydropicorum id circospectinem ne contingito monet Hippocrates de *morb. vulg. lib. 6.*

Satis jam demonstravimus infra umbilicum operationem opportune fieri posse. Scrotum vero aliquando perforandum esse diximus; interdum enim aqua in scrotum delabitur in herniosis vel potius in faccum, qui a laxato peritoneo formatur, Hildanus *Cent. 1. obs. 48.* hanc operationem egregie confirmat observatione quem ob singularitatem hic describam. „ Cosmus Slotanus Chirurgus præstantissimus, quædragenarium ætate laborantem curandum habuit. Medicamenta permulta tum interna, tum etiam externa, ei absque fructu exhibita fuerunt. Tandem vero adeo copiose in scrotum delapsus est serosus humor, ut extincto calore nativo sequuta sit Gangraena. Adhibitis quæ ad Gangraenæ curationem spectant, decidit scrotum: ita ut testiculi nudi conspicerentur. Hinc tantum.

„ tum effluxit humoris serosi, ut a morbo li-  
 „ beratus sit æger, & diu supervixit sanus:  
 „ atque (si bene memini) liberos aliquot pro-  
 „ creavit. Testes autem natura obduxerat  
 „ callosa quadam substantia, quæ eos vice scro-  
 „ ti obtegebat, & ab externis injuriis vindi-  
 „ cabat.

Ista certe observatio eximie commendat ope-  
 rationem in scroto instituendam, maximam en-  
 nim præbet spem aquam huc vergentem in tali  
 casu, ac ibidem exitum inventientem paulatim e  
 corpore eliminari posse: quicquid sit, tentare  
 nihil vetat, nullum enim noxium vel pericu-  
 lum majus inde timendum est.

Contrarium vero suadet Fabricius *p. 528.*  
 quando peritonæum in scrotum usque produ-  
 ctum non est. Unde manifestum est, eos, qui  
 scroti perforationem indiscriminatim laudarunt,  
 cum Galeno errasse circa meatum sive diverti-  
 culum peritonæi quod in cynocephalis, simiis,  
 canibusque semper, in homine autem nunquam  
 reperitur. Cujus erroris mentionem non so-  
 lummodo fecit J. van Meekren *p. 201. cap.*  
*48.* sed jure merito eum repræhendit.

Si vero neque umbilicus neque scrotum eva-  
 cuationi apta videntur, aut Operator infra um-  
 bilicum puncturam instituere non audeat, su-  
 perest alius locus per puncturam maxime i-  
 doneus, nempe trium pollicum distantia a li-  
 nea

nea alba & tres pollices inferior quam umbilicus, quæ mensura de corpore sano est intelligenda, melius vero determinatur, si medius locus inter umbilicum & eminentiam ossis Ilii perpungatur; ibi enim ferme desinit carnosâ pars musculorum obliquorum abdominis, ac eo loco limites sibi figunt musculi recti, quod Eustachius elegantissime expressit *tab. 27. IK & tab. 32. T, a, B. R, a, B.* Locus ille obtenuitatem partium punctiōni longe aptior est.

Hactenus diximus quibus in locis punctiō peragi queat, quæritur jam num multum interfit, quoniam in latere instituatur. Quidam latus a fontē hydropis aversum eligunt, ut si hepâr in causa sit sinistrum, si lien dextrum latus perforandum sentiant, sicut Avicenna *Fen. 15. tract. 1. p. 788.* Celsus quosdam latus sinistrum perforasse scribit *lib. 7. cap. 15, p. 451.* Hippocrates ne quidem latus definivit *lib. de affection. Sect. 5. p. 522.* Satis inde liquet, parvi momenti esse hanc Medicorum prudentiam.

### §. V I.

Quomodo abdomen sit perforandum nunc dicam, varios Veterum methodos primo tradam, dein eas recentiorum subjungam. Paulus Ægineta incisorio scalpello aut cultello acuto primo abdomen ad peritonæum usque, dein paulo su-

D

pe:

perius ipsum peritonæum inciderebat, uti scribit *Lib. 6. cap. 50. p. 568.* Cum hac methodo illa Avicennæ congruit *Fen. 15. tract. 1. p. 788.* ubi sequentem in modum eam describit. „ Subleva ipsam ut non sciindatur siphac (deinde) excorietur mirach a siphac parumper ad inferiora loci scissionis mirach. Deinde perforetur siphac, ita ut sit foramen siphac inferius foramine mirach. Eo modo cutis, cujus foramen infra illud peritonæi erat, occludebat perfecte aperturam, ut ne gutta quidem exire possit. Cautelae hujus ratio videtur, quod omnem aquam simul & semel evacuare non amabant, & potius periculosum judicabant.

Avicenna & Ægineta duplici itaque sectione abdomen perforarunt, Celsus vero unica simul & musculos & peritonæum transibat *lib. 7. cap. 15. p. 451.* ubi & alios fuisse testatur, qui cute primum adusta, dein interiore abdomine inciso illud faciebant.

Per aperturam deinceps fistulam ex varia materia conflata demittebant, æneam commendarunt Ægineta & Avicenna. Celsus plumbea fuit usus. Ægineta ad calami scriptorii similitudinem eam exactam voluit; Celsus vero, ne tota intus delaberetur labra in exteriorem partem recurvanda curavit, ve eandem circumcingi quadam remora jussit, uti patet

tet ex loc. sup. cit. quem minus intellexisse videtur Fabricius p. 524. Judicans, ac si Celsus cutis vulneratæ labia exteriora versus recurvanda voluisset, cum de labiis instrumenti hæc intelligat Celsus, adeoque immerito a Fabricio repræhenditur.

Quod duobus instrumentis veteres effecerunt, hodie unico peragitur, quod simul & perforat & cannulam tecum intromittit, nempe Acutricuspide cannulara. Labet hic hujus instrumenti historiam adnectere: per gradus enim illud correxere multi & magni nominis Chirurghi.

Fabricius ad sectionem in abdomine faciendam usus fuit instrumento, quod ad cuspidem parum erat recurvatum, & ab una parte tantum aciem habebat vid. p. 525. Simile huic delineavit Scultetus in *armam. chir. tab. 39, K.* Fistulam adhibuit Fabricius argenteam vel æneam aut plumbeam alatum, ac a lateribus foraminibus instructam.

Van Zolingen *manuale operatiæ tom. 3. p. 140.* describit perforatorium, cujus extremum oblique quadrangulare est, vel oblongo quadratum & rectum, Eoque perforavit abdomen vel lanceola, dein cannulam injecit. Postea aliud perforatorium, quod cannulam ingreditur & quo simul cannula & acus intromittuntur vide *expl. p. 142. & fig. tab. 6.* Illud instrumentum Sculteto adscribere videtur, sed paululum



a se mutatum. Alterum vero Sculteti perforatorium rejicit, quod ex acu & cannula constat, quodque præterea elateribus instructum est, vid. Scultet. *tab. 39 fig. 2. 1.*

A Dionisio cannula adhibetur fissa juxta totam ejus longitudinem vid *p. 143. n. 3.* primo lanceola abdomen aperit, dein specillum demittit, & ad illud cannulam, uti patet. *p. 145.* Methodum recentiorum dein describit *p. 148.* ubi in notis adjicit de la Faye, Petitem correxisse cannulam, addidisse nempe cochlear & fissuram latiore fecisse, ut ea uti posset in tumoribus aperiendis, vices enim conductoris cavi tenet.

Acum quoque describit primæ inventionis, triangularem, intrusivam, apice triangulari instructam fenestratam a lateribus, ut aqua ingredi queat. Zona sive ala, quemadmodum reliquæ cannulæ, gaudet, cujus apertura pollice clauditur, ac ibidem notat, acus dari triangulares, quarum acies intra cannulam includitur, ac ultimam, cum acu triangulari scilicet, operationem præfert.

Job van Meekren *p. 279.* sibi vindicat acutum cannulatam, *drilnaald*, vide ejus *fig. p. 280.* Acus ejus est cava, foraminibus instructa, qualis est cannula Fabricii, & stylo clauditur, sed cannula ipsa perforat, ergo ab il-

illa Sculteti parum differt & a Solingiana acu, ibi stylus gaudet cuspide perforante.

Dionisii acus cum illa van Meekren convenit, sed apex est triangularis. Si itaque has omnes conferimus inter se, facile recentiorum acum deregimus.

Barbette adhibuit fistulam chalybeam cuspide lanceolata instructam vid. p. 53. fig. 2.

Chirurgus Blok cannula argentea cuspide rotunda usus est ut testatur Barbette *prax chir.* p. 53. fig. 1. Hæc cum Meekrenii cannula congruit, sed nimis parva est notante Meekrenio.

Chesselden proposuit cannulam & acum *tab. 14. A*, eamque maximam esse quæ requiritur, foramina magna dantur quatuor, sed fissa non est vide Le Dran's *translation into English* by Th: Gatacker p. 458.

Sharp similem describit, nempe ejusdem diametri, sed foraminulis minoribus vid. *Surgery* p. 63. *tab. 3. A*, addit aliam majorem, si aqua gelatinosa est, & majoribus foraminibus.

Garengot *traité des instrum: tom. v. art. 5. p. 244* Acum cannulatam, sed fissam juxta longitudinem describit, & depingit cum cochleari alato Petiti vid. *fig. 3.* aliam vulgarem alatam & fenestratam *fig. 1. & 2.*

His omnibus inter se collatis, clarum est.

1. Acum cavam triangularem quadrangula-

D 3

rem-

remve fuisse adhibitam, ut a Dionifio describitur & pollice fuisse claufam.

2. Acum cavam argenteam fenestratam, sed penicillo five stylo fuisse claufam, ut a Meekrenio & Barbette.

3. Stylum ipsum fuisse ex chalybe constructum & cannula armatum, quæ structura desumpta est ex Sculteto.

4. Alam fuisse adjunctam.

5. Alæ adnexum fuisse cochlear.

6. Cannulas fissas primo fuisse adhibitas, ut patet ex Dionifio. Dein fenestratas. Tandem iterum fissas, ut aliis operationibus etiam infervirent.

Patuit jam quomodo instrumentum ad illam exactitudinem pervenerit,prehendit jam Operator instrumentum & fortiter unica punctione per musculos atque per peritonæum intromittit, hoc facto acum ex cannula educit & aqua effluit.

## §. VI.

Quæ ad instrumentum ejusque immiffionem spectant, supra absolvimus, de aquæ emissionem nunc agendum sequitur.

Minime de ejus educendæ quantitate conveniunt Auctores. Veteres quidem plenariam unica vice evacuationem perniciosam, imo lethalem.

thalem pronunciarunt,, Qui pus in thorace col-  
 ,, ligunt, aut aqua inter cutem laborant, si  
 ,, uruntur aut secantur, & pus aut aqua con-  
 ,, fertim effluit, omnino intereunt, inquit Hip-  
 pocrates *Seft. 6. aphar. 27.* Neque hoc sine  
 ratione dictum esse probat Galenus in *comm.*  
*ad hunc locum.* ,, Primo vasa arteriosa ita re-  
 cludi, testatur, qui humorem antea oper-  
 ,, culi vice habebant. Secundo scirrhum  
 ,, visceris, utpote non amplius ab aquosa sub-  
 ,, stantia sustentatum, deorsum tum diaphragma,  
 ,, tum viscera thorace contenta trahere. Quan-  
 tum periculum inde immineat manifestum est;  
 verum egregie hoc præcavetur, si abdomen ju-  
 ste comprimatur, de qua compressione seq. §.  
 dicendum erit.

Plenariam quamvis unica vice aquæ edu-  
 ctionem tanquam lethalem damnarunt, tamen  
 quantum sit emittendum non omnes conve-  
 niunt.

Celsus *Lib. 7. cap. 15. p. 451.* inquit: Ubi  
 ,, major ejus pars evacuata est, claudenda de-  
 ,, missio linteolo fistula est—. Deinde per inse-  
 ,, quentes dies circa singulas heminas emit-  
 ,, tendum, donec nullum aquæ vestigium ap-  
 ,, pareat. Quidam autem, notat, postero die  
 ,, fistulam demittunt—ut, si quid humoris su-  
 ,, perest, emittatur, idque bis ita fecisse con-  
 ,, tenti sunt.

P.

P. Ægineta *lib. 6. 50. p. ait:* „ Postea—per  
 „ fistulam humorem educemus pro viribus mo-  
 „ deratum, quas ex pulsus contactu cogno-  
 „ scemus. Postero die rursus parum humo-  
 „ ris pro virum ratione per fistulam evacua-  
 „ bimus, idque ita consequentibus deinceps  
 „ diebus, donec quam minimum undiquaque  
 „ relinquatur. addit dein: „ qui magis securi-  
 „ tatis curam habeant, modica humoris per chi-  
 „ rurgiam facta evacuatione—reliquum per me-  
 „ dicamenta aquam ducentia, & per arenam,  
 „ solem, sitim & exsiccantia alimenta consu-  
 „ munt *p. 571.*

Cælius Aurelianus *chron. morb. lib. 3. cap.*  
*8. p. 483.* Sequentem in modum evacuatio-  
 nem aquæ determinat: Nisi solum, quod recte  
 „ probamus per cathetera liquorem, si res  
 „ patiuntur, semel atque eodem tempore o-  
 „ mne auferendum—. Si aliquæ obstiterint post  
 „ primam detractionem paululum differimus,  
 „ quo turbatio corporis resolvatur, ac deinde  
 „ resumpto ægrotante, eodem die residuum  
 „ detrahimus humorem, sin minus; alia die  
 „ —Ac si forte rursus confluyente humore fue-  
 „ rit repletus vel virium debilitas prohibuerit,  
 „ eodem tempore totum detrahi, tunc inter-  
 „ jectis diebus duobus, vel quantum vires per-  
 „ miserint, detrahimus.  
 „ Albucasis *Lib. 2. cap. 54.* Primo spatio ho-  
 ræ

ræ mediam aquæ copiam emittendam esse voluit, altera die parvam aquæ quantitatem evacuari præcepit, & sic aliquibus diebus procedebat, pro ut infirmus toleraret teste Fabricio p. 526.

Horum virorum sententiis in unum collectis sequitur.

1. Acervatam evacuationem hosce medicos damnasse, excepto Aureliano.

2. Celsum prima vice majorem aquæ partem eduxisse, deinde sequentibus diebus circa singulas heminas.

3. Alios binis vicibus omnem evacuasse.

4. P. Æginetam pro viribus evacuationem moderasse, & insequentibus diebus eam continuasse, donec quam minimum aquæ relinqueretur.

5. Non defuisse qui primo modicam per chirurgiam aquæ copiam evacuabant, reliquum per alia remedia educebant.

6. Aurelianum solummodo ad ægri vires respexisse, atque tam subito, quam possibile erat, aquam eduxisse.

7. Albucasin primo die dimidiam aquæ copiam evacuasse, reliquum insequentibus diebus pauca copia pro viribus ægri.

Inter recentiores non pauci fuere qui Veterum vestigia prementes subitanæ aquæ damnarunt evacuationem, maxime vere Boerhavius

E

vi

vide *aph.* 1240. Ratio autem quæ plurimos inducit ad evacuationem per vices instituentem præcipua est, ut in operatione animi deliquium præcaveatur, verum si abdomen iuste comprimatur nihil est metuendum; animadvertit enim Mead. *in præc. & mon. p.* 146. si vel per momentum temporis pressio amoveretur, ægram quandam actutum animo defecisset. Fit enim, si abdomen non comprimatur, ut diaphragma nimium deorsum trahatur & omnia, quæ ante sustinebat aqua, pendula hæreant, atque ex ea causa ægri animo linquantur, atque ob hanc rationem etiam Galenus ut supra vidimus unica vice evacuationem damnavit. Si ergo vires ægri permittant, unica vice aquam evacuandam censemus, atque hoc successisse sine ullo pravo symptomate aliquoties vidi.

## §. VII.

Ex antedictis evidens est, compressionem abdominis esse præcipuam causam avertentem deliquium animi, duo itaque adstantes requiruntur, qui, operationem intelligentes, leniter abdomen comprimant, & simul aquam quasi ad cannulam derivent, novum autem non est, abdominis latera comprimere, quemadmodum Mead insinuare conatur, *Agineta enim*

nim tumoris molem comprimi, & ad pe-  
ctinem protrudi in paracentesi curavit. Cum  
quo conferri meretur Avicenna *Fen. 15. waft.*  
I. p. 188.

Quod multi compressione manuum præsta-  
runt, illud Monrous fascia quadam efficere vo-  
luit, quam proposuit in *Act. Edenb. tom. 1. p.*  
*137. tab. 3.* Ubi putcherrima hanc compres-  
sionem spectantia tradit; vinctura vero, quam  
adhibuit, non admodum scopo respondere vi-  
detur. Quando omnis aquæ in asciticis fit e-  
vacuatio, abdomen admodum laxum fit, &  
quasi complicatur, unde necessario sequitur,  
quod fenestra illa, quæ vulnere respondere  
debet, plus quam ter mutet locum, quod  
absolute vetat cannula inmissa. Præterea etiam  
Operator simul ab inferioribus versus superiora  
premit, illud vero tali vinctura efficere omnino  
videtur impossibile.

### §. VIII.

Absolvimus quæ ad evacuationem aquæ  
pertinebant, superest, ut illa tractemus, quæ  
ad deligationem & fasciationem spectant.

Post extractam leniter fistulam, linteum car-  
ptum vulnere superimponitur, ac emplastrum  
glutinans, ac requiritur ut debito modo ab-  
domen laxum constringatur.

E z

Su-



Sumit idcirco Chirurgus primo splenium quadrangulare, ac abdomini imponit, dein splenium triangulare, hæc duo per mantile, quod circa corpus ægri dispositum erat, fortiter firmat, tandem sumit fasciam, & hanc circa corpus ægri injicit.

Injectio hujus fasciæ desumi potest ex illa quam dedit Galenus *cap. 106. Chart. volum. 9.* Juxta eum media pars fasciæ collo imponenda est, & capita ad sternum ducta sunt permutanda, sic ut cujusque fiat inversio. Dein sub axillis ad dorsum feruntur, ibique simpliciter permutantur, porro ad sternum, ibique invertuntur capita ut ante. Sic descendendo ad hypochondria usque pergitur, atque ibi orbiculatim per nodum firmantur. Hanc fasciam *Aurigam*, vocavit, aurigæ enim ita antiquitus costas equorum firmabant, notante Galeno loco cit.

Si hanc fasciationem abdomini applicamus, eximie ad deligationem, retinendam respondet V. G. Fiat injectio fasciæ primo orbiculatim circa cartilaginis ensiformis altitudinem, ac in dorso capita permutentur, sicque ad anteriora corporis ducantur, ac ibi capita invertantur, sicque ad inferiora pergatur, tum Operator unum caput tradat adstanti, alterum infra clunem inter pedes, per inguina ducat, simili modo aliud, tum ad lumbos capita per-

ducta ibidem pemutantur, & nodo circa corpus firmentur. Prudentiæ causa singulae circumjectiones adhucdum firmentur aciculis ad splenia.

Tali injectione fasciæ pro lubitu abdomen constringere valet Operator; eximie convenit, & aliquoties mirifice scopo respondentem eam applicatam vidi, imo tam firmiter abdomen retinet, ut, ubi abdomen aliis fasciis satis fulciri impossibile erat, hanc successisse testatus fuerit Cl. Camperus, qui, ut in plerisque aliis, sic & in hac re magnam comparavit sibi experientiam.

Etiamsi melius sit, debito modo abdomen ægri constringere, non desunt tamen, qui hanc tam necessariam prudentiam rejicere non verentur, quique post operationem ægrum modo in dorso decumbere sinunt, verum, quantum periculi id secum trahit, satis ex antedictis patuit, adeoque non opus est, ut pluribus de eo agamus.

### §. IX.

Supra vidimus animi deliquium esse symptoma inter evacuationem aquæ interdum occurrens, simul tum diximus abdominis compressionem hanc impedire. Præter animi deliquium vero præterea operationem molestam reddunt

dunt dolor circa cartilaginem ensiformem, tremor ac anxietas in pectore & tussis, hæc vero omnia symptomata iusta compressione facile superantur, tussis quidem interdum tanta vi abdomen anteriora versus propellit, ut duo robusti homines vix eo retinendo sufficiant, exinde patet quanta sit vis diaphragmatis. Cætera multo minori vi leniuntur, imo sæpe tolluntur.

Præter jam memorata non raro molestum admodum symptoma adhucdum occurrit, nempe inter evacuationem aquæ fistula obturatur, vel quod omentum cannulæ orificium claudat, vel quod intestinum hoc efficiat. Convenit tum stylum per cannulam intromittere, & tali modo reclusionem moliri. Si per hunc obturatio non impeditur utile est interdum, ab altera parte punctiorem instituere; si ne per illam quidem aqua effluit, ultimum auxilium est fistulam extrahere, & vulnere linteum carptum imponere & supra hoc splenium, & leniter abdomen constringere, ut aqua tali modo per foramen sensim effluat, quod interdum successisse experientia docuit.

#### §. X.

Ustione & Paracentesi Ascitem curari vidimus. Accidit vero sæpe ut anasarca cum asci

ascite simul hominem affligant, in tali casu etiam conveniret. Incisio ad talos, neque experientiae illa contrariatur: memorabilem hujus rei casum habet *Mead. in præcep. & mon. p. 132.* de foemina quadam generosa, quæ simul ascite & anasarca laborabat, quam per incisionem ad talos, & aliis remediis adjunctis sanam reddidit. Neque minus illam commendat casus, quem singulari *Celeb. Camperi* erga me benevolentia mihi observare contigit: Mulier nimia V. S. maximopere debilitata tandem in hydropem incidit ascitem ac anasarcam; ast in cruribus hinc inde prodibant tumores aqua pleni, qui rupti tam ingentem aquæ copiam emanabant, ut ab hydropse liberata fuerit.



## C A P U T I V.

### *De Tympanitidis Cura.*

**Q**uonam modo Anasarca & Ascites sit debellanda jam satis differuimus, superest tantum, ut his Tympanitidis curam subjungamus, hanc vero tam eleganter *Celsus* describit, ut iis plura addere supervacaneum sit, vide *lib. 3. cap. 21. p. 160.* Iplissima ejus verba adducam, Ergo, inquit, si inflatio & ex ea dolor creber

„ ber est, utilis—vomitus est. Fomentis uten-  
 „ dum est. Si per hæc dolor non finitur ne-  
 „ cessariæ sunt sine ferro cucurbitulæ. Si ne-  
 „ per has quidem tormentum tollitur, inci-  
 „ denda cutis est, tum his utendum. Ultimum  
 „ auxilium est, si cucurbitulæ nihil profue-  
 „ rint, per alvum infundere copiosam a-  
 „ quam calidam, eamque recipere: Im-  
 „ ponendum vero in eum (sc: ventrem)  
 „ crebrius sinapi, donec cutem erodat, ferra-  
 „ mentisque candentibus pluribus locis venter  
 „ exulcerandus est, & servanda ulcera diutius:  
 Hoc loco egregio certe omnia Tympanitidis  
 curam spectantia continentur, adeoque plura  
 non addam.

F I N I S.



T H E.

# T H E S E S

I.

*Salivam Corpori Humano utilem non solum,  
verum & necessariam esse, atque nimiam e-  
jus excretionem periculosissimos morbos produ-  
cere, statuo.*

I. I.

*Non semper V. S., etiam repetita, abortum pro-  
curat.*

I I I.

*Neque humor crystallinus, neque tunica choro-  
idea, verum retina constituit primum Vi-  
sus organum.*

I V.

*Substantiæ Uteri crassities in gravidis non est ea-  
dem, quam in non gravidis.*

V.

*Non omnem Pleuritidem inflammatio Pulmonis  
comitatur.*

V I.

*Ossa sensum non habent.*

F

V I I.

V I I.

*Kulnera cerebri, quamquam periculosa, non tamen semper sunt lethalia.*

V I I I.

*Verum est Hippocratis pronunciatum de art. Sect. 6. p. 818. ubi, inquit. Femoris articulus coxendice excidit, quatuor in partes promovetur.*

EGRE-

E G R E G I O

7 U V E N I

## FOLKERO SNIP,

Publice differenti.

*V*iderat in Frisiis celebratum Pallas Athenis  
SNIPPIADEM nitidas tollere in alta comas.

*V*iderat hunc dubios Medicorum solvere casus,  
Reddat ut optatae dulce salutis opus.

*V*iderat hunc tacitas herbarum noscere vires,  
Quis stat Apollineae cultior artis honos.

*T*unc ea : praeclara dum surgit SNIPPIUS arte,  
Praemia perpetui certa laboris habet.

*H*ic geret aeterna comtos ex fronde capillos,  
Laetius huic nostri Numinis omen erit.

*H*ic dignus, Medici cui pandant Numina Phoebi  
Abdita Paeoniae sacra decusque rei.

*A*dnuit, ad tantae Phoebus praeconia famae,  
*A*dnuit, & votis pondus inesse jubet.

F 2

Gra-



Gratulor. Egregiis extendas nomina factis,  
 Quis poterit famae stare perennis honos.  
 Laeta Tuis plaudat meritis Hygiea, Tuumque  
 Exornet nitido laudis honore caput.  
 Sic puppis rabidis miserorum fracta procellis,  
 Praesidio semper sit bene tuta Tuo!  
 Inclyta sic rebus fessis tutela decusque  
 Conserves trepidae naufraga membra ratis!  
 Sentiat & medicas tenebrosoe portitor undae,  
 Qui genus humanum perdere suetus, opes.  
 Felix! qui superos cernis Tibi rite faventes,  
 Sub quorum placido tegmine tutus eas!

H. J. ARNTZENIUS.

J. U. Candidatus,